



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXIX. Alexandri Papae III. Ad Senonensem Et Rothomagensem  
Episcopos. Vt efficiant sub poena censurarum compleri pacem quam rex  
Angliae verbis promisit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

cum illius tenere (Deo, prout ipsi placuit, disponente) conspicimur qui a prædicatione verbi Dei nec verberibus poterat nec vinculis coerceri, non debemus sub ambigua expectatione pacis creditam nobis diuini verbi pecuniam in sudario reponere, & alligatam eam tamdiu conseruare, donec paulatim lucrandi hora occurrat, & creditor veniens de reddenda acerbe nos conueniat ratione.

## EPISTOLA XXXIX.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD SENONENSEM ET ROTHOMAGENSEM  
EPISCOPOS.

Vt efficiant sub poena censurarum compleri pacem  
quam rex Angliæ verbis promisit.

*Alexander seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Seno-  
nensi & Rothomagensi episcopis salutem &  
apostolicam benedictionem.*

FATERNITATI vestræ per apostolica scripta præci-  
piendo mandamus, & in virtute obedientiæ præcipi-  
mus, quatenus infra viginti dies post harum susceptionem  
eumdem regem ex parte nostra diligenter conueniatis,  
commonere propensius & exhortari curetis, vt pacem,  
quam cum eodem archiepiscopo verbo tenuis fecit, execu-  
tionे operis compleat. Nihil minus etiam eidem suggera-  
tis, vt postmodum ablata omnia restituat, damna data re-  
farciat, prauas & execrabilis consuetudines omnino præ-  
cidat. Si autem intra triginta dies post commonitionem  
vestram, pacem quam statuit, & promisit, consummare  
noluerit, in tota terra eius cismarina omnia diuina, præter  
baptismata parvulorum, & pœnitentias morientium, re-  
moto appellationis obstaculo, prohibeatis officia celebra-  
ri, & sententiam ipsam usque ad condignam satisfactio-  
nem faciatis inuiolabiliter obseruari. Quod si alter ve-  
strum, aliqua necessitate obstante, huius rei executioni  
non potuerit interesse, (quod tamen nollemus, nec expe-  
diret) alter non minus id quod dictum est exequatur.  
Datum Anagniæ septimo Idus Octobris.